





6

Q. D. B. V.
DISSERTATIONE IN AVGVRALI
CASVM
DE
PVRPVRA SCORBUTICA
PRÆGRESSO
HÆMORRHOIDVM FLVXXV
NIMIO
EX PRINCIPIIS SOLIDIS DEVGTVM.
PRAESIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIÆ & ORDINIS MEDICORVM SENIORE
PRO
GRADV DOCTORIS
LEGITIME CONSEQUENDO
Die Aug. Anni MDCCXXXII.
SOLEMNI ERVDITORVM DISCEPTATIONI
EXPOSIT
AVCTOR
CHRISTIANVS ANDREAS COHENIVS,
ANCLAMO - POMERANVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

V I R O
MVNERVM DIGNITATE
VIRTVTVM QVE CLARITATE MAXIME
CONSPICVO
*PRÆNOBILISSIMO AMPLISSIMO ET
EXPERIENTISSIMO*
D O M I N O
DN. FRIDERICO
BRANDHORSTIO
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
BORVSSIÆ REGIS
ARCHI-CHIRVRGO
NEC NON
LEGIONIS PRIMÆ REGIÆ
CHIRVRGO PRINCIPI
P A T R O N O S V O
OMNI VENERATIONIS CVLTV PROSEQVENDO
FELICITATEM OMNIGENAM

A V C T O R.

VIR PRÆNOBILISSIME
AMPLISSIME ATQVE EXPERIENTISSIME
PATRONE OMNI VENERATIONIS
CVLTV PROSECVNDE.



On heri aut nudius tertius,
præclaram TVAM, VIR PRÆ-
NOBILISSIME ! de omnibus
bene merendi , ad me fama
pertulit contentionem. Jam
inde a longo tempore excellentes animi
Tvi

TVI dotes miror ac veneror. Atque, dum
ita, tacito cultu, TE, VIR PRÆNOBILISSI-
ME! prosequor, utque conspectior aliquan-
do mea sit veneratio, valde exopto; acci-
dit, ut specimen rationum academicarum
exhibendum privata necessitas extorqueret
& imperaret. Nolui, fateor! rudi penicillo
adumbratam materiae elaborationem adeo
cogitanter respicere, AMPLISSIMI QE No-
MINIS TVI inscriptione an digna sit, serio
meditari: qui de innata TVA, VIR PRÆ-
NOBILISSIME! comitate, haud vanam mihi
spem iam dudum conceperam. Igitur, ut
perpetuæ meæ pietatis, erga TE, aliquale
exstaret documentum; primos studio-
rum meorum fructus, TIBI, PATRONE
SVMMOPERE COLENDE! consecratum eo:
id unum summis in deliciis ac votis habitu-
rus, si ea, qua nunquam non afoles vultus
serenitate hos ipsos exceperis, sincerrima-
que

que conamina mea probaveris. Meum vero quotidie erit, ardentissimis precibus indesinenter nuncupare, ut NVMEN TER ADORANDVM omnes Clementiae REGIÆ rivulos, haud interrupto flumine, in sinum TVVM, ob tot præclara merita felicitate dignissimum, perpetuo dirigat, incolumitatisque TVÆ diuturnitatem ad seram usque senectam perennare iubeat. Vale PATRONE pientissima mente devenerande ! tenuemque Musam, sub amplissimo patrocinii TVI tegmine, dulci requie frui patiaris, oro atque obtestor. Dedi Halæ Magdeburgicæ,

d. xv. Aug. A. O. R.

cl. CC xxxii.



PRÆFAMEN.

PRIMA Medicinæ fundamenta experientiam iecisse, nemo fortassis in dubium vocare ausit: initium quippe atque Artis progressus, nec non prisca illa a tot retro seculis relictæ præstantissimorum virorum, Medicorum nomine insignium, monumenta id ipsum ultro fatentur atque evincunt. Hac idemtidem methodo multa utilia in Medicina reperta fuisse, qua etiamnum hodie reperiuntur; fida antiquissime Hippocratis, qui non Graciā modo, sed & universum propemodum orbem in maximam sui admirationem concitavit, pulcherrimorum observationum collectio testimonium præbet omni dubitatione maius. Hinc profecto res eo redit, ut ab omni ævo, phænomenorum omnium, quæ in hominæ vivente, sano, ægro, moriente, mortuo, in sensus externos incident, neque minus, a quibus singula hæc causis enata fuerant, observationes, quas historias Medicas appellatæ consueverunt, unanimi Medicorum rem æqua estimatione pensantium suffragio, præcipua & solidissima Medicinæ principiū habitaæ fuerint. Ex quibus haud levi modo brachio tactis, seduloque collectis, physicis, chymicis, mechanicis, hydrostaticis, hydraulicis doctrinis imbuti, regulas vel axiomata tam generalia quam specialia in præxi usui futura nunc diducere atque colligere negotio quidem facilissimo possunt. Quid, quod, ad veritatem proprius accedendam nihil magis conferat, ac, si legitimo ratiocinio, quæ ex phænomenis deducuntur, cum observationibus conferimus, ut consensu inter se per-

specto vel probentur vel saltim confirmentur; siquidem huiusmodi per examina, regulas nos rite ex principiis deduxisse atque applicasse certi reddimur (conf. Celeb. Wolsius in hor. subcœsto. 1729. trimestr. vernal.). Vnde clarissime elucescit, neque Pathologiam, neque Therapiam firmo niti posse talo, ut ut exacta C. H. omniumque quæ in eo peraguntur functionum ex principiis physico-mechanicis deducta & acquisita notitia quispiam imbutus fuerit, nisi accuratam morbi & remediorum historiam sedulus sibi comparaverit. Neque vero temporis illa diuturnitas, laudabilem antiquorum in re Medica operam, quum experientia eam feliciter probareret, posteritatis memoriae exigere potuit. Viger certe adhuc inter nos, & per multa etiam futura secula corruscabit nomen laudati iam *Hippocratis*, idemtidem *Aretæi*, *Alex.*, *Tralliani*, *Cal.*, *Aurelianii*, *Corn.*, *Celsi*, *Mercurialis*, *Valeriana*, ceterorum; quorum scripta experientiae consona atque innixa, non sine fructu recedentes quotidie pervolvimus. Licit autem Arti ad maiorem perfectionem ducentia atque ulterius stabilendæ, omnium quæ in C. H. occurunt phenomenonorum designationes valde necessarias esse Medici tantum non omnes dicitent; non tamen adeo amplam usui aptarum historiarum extare copiam, mirandum nisi plane dolendum videbitur. Quantas igitur laudes, meam certe multis parasangis superantes Illustr. Dn. PRÆSES iure sibi vindiceret, scripta eius quæ summo candore in perpetuam nominis sui memoriam, orbi reliquit, apertissimo ore loquuntur: in quibus non modo centenos multos casus ipse consignavit, sed etiam quo pacto mörborum historia rite sint annotatae omnium optime passim docuit; ex instituto vero Tom. III. Med. rat. Syst. S. I. c. III. nunquam satis deprædicandam rem inculcavit.

At vero, quæ modo præfatus sum, præclarum satis mihi argumentum suppeditarunt, quare, price ceteris, singularem quandam calum, pro sistendo inaugurali specumine, elaborandum sumserim. Etenim partim materiæ dignitas atque utilitas id ipsum postulavit, partum necessitas, ut, me non prostris rudem atque illoris quod aiunt manibus, animum medendi negotio applicaturum esse, quorū interest, cognoscant. Hunc in finem Illustr. Dn. PRÆSES Patronus atque Preceptor, ob tot beneficia, nunquam intermoritura pietate & obsequio calendus,

pro

pro singulari, qua me immerente tantum non semper complexum
fuisse benevolentia perpetuo læbor, morbi præsentem historiam, be-
nigne mihi communicavit, ut virium in eo enucleando periculum fa-
cerem. Quod, ut cedar feliciter, DEUS annuat!

CASVS.

Vir quidam illustris, quinquagesimum circiter ætatis an-
num transgressus, temperamenti sanguinei, animi pa-
riter ac corporis constante vigore ac robore gavisus,
a longo hinc inde tempore, ne ullis quidem morbo-
rum insultationibus divexus est. Ætate sensim ad senium ver-
gente, iussiori plus sanguinis abundantia corpus turgescere
cœpit, cuius ad incrementum, alimentosi cibi largiterque
aromatissati (Speisen von hohen gout) excedens appetentia,
vini generosi fortean largior haustus, nec non prætermissum
consuetum ac necessarium motus exercitum multum fecerunt.
Quin autem exsuperanti sic purpureo liquori nullus per ve-
nam sectam daretur exitus: & ille, ob tantam copiam, am-
plius spatum affectaret, sicut non potuit, quin impeditæ
cum remora, per singula corporis vasa traiceretur. Hinc
benigna natura, per hæmorrhoidum fluxum salutari
modo institutum, a tanta machinae obturata mole lese
liberare annisa fuit; eventu adeo secundo, ut a multis postea
annis, singulis tribus vel quatuor hædomadibus, sanguinea
hæc per sedis venas rite successerit exercitio. Hactenus igi-
tur ab incommodis satis immunis degit Vir illustris; sed
quum initinere sub frigido hyemali cælo instituto, salutifera
corporis impeditur peripherica exhalatio, coeca, quas ap-
pellant, hæmorrhoides, ardore & dolore comite, in con-
spectum prodierunt; quæ tamen convenientium extenorum

A 3

appli-

applicatione fugam quarebant. Veram, circa æquinoctium vernale eiusdem anni, hæmorrhoidalis non modo effusio rediit fluxus, ut per tres propemodum menses persisteret, sed & sub hoc temporis tractu, acris & salsa defluxio, cum rubore & dolore, oculos detinuit: quæ in usum vocatis debitis remedii pedetentim decepsit. Interea constrictivus in pectorे & abdomine sèpius adfuit sensus, nec non pressorius in osse sacro dolor cum stimulo urinam mittendi adflicxit, qui lumbari quoque non pepercit regioni, pedem simili modo afficiens. Appetitus imminuebatur, ciborum quoque vacillare cœpit iusta digestio, siquidem ventriculus viscolam interdum protrudebat materiem. Rebus sicstantibus, in consilium accitus Illustr. DN. PRÆSES venam in brachio tundendam primum suasit; dein, ut cum fonte quodam soterio Spadano aut Selterano vel Schvalbacensi, sub exacto diatæ regimine, ægrotus illustris curam inciperet, auctor fuit. Post usum harum aquarum, ut annuatim bis minimum vel ter venam secari pataretur, diligenter hortatus est, insuper ut duabus vel tribus per hebdomadem vicibus, quindecim liquoris anodynî DNI. PRÆSIDIS guttas, unacum pulvere præcipitante, in aquæ frigidæ haustu circa lecti introitum usurparet, atque vino generoso Hungarico, quantum fieri posset, vel valde dicere vel parcus tamen uteretur; neque meditationibus ac assiduis laboribus mentem fatigaret; sed corpus crebris ac moderatis exerceret motionum generibus, quam sedulo inculcavit. Perfecit curam, ab Illustri PRÆSIDIÉ propositam ægrotans illustris, tam felici quidem successu, ut haud exiguum malorum persentisceret levamentum. Sed annus effluxit, quum Februario mense, in febre incideret noster, catharrali primum æmulam. Appetitus deinde prostratus, sitis & æstus intensior ægrum mire torterunt, quibus vomitus quoque

que se se non raro adiunxit. Accesserunt alta suspiria, anxietates praecordiorum, cardialgia, compunctionis sensus, respirationis difficultas, alternante frigoris & horroris saepe sanguinis sensu, pulsusque durius atque celerius micante. Purpuram antefores esse prudenter auguratus est PRÆSES illustris. Ecce! successit cutis asperitas, prodeuntibus innumeris pustulis, milii semen figura & exiguitate referentibus, rubris tamen. Symptomatis his acriter afflignantibus, bezoardicum pulverem circa somni tempus, vomitui vero obviam eundi gratia liquorem anodynum mineralem, cum balsamo vita maritatum, & pro potu serum lactis dulce, ill. DN. PRÆSES ad usum proposuit. Sic sedata per octiduum prope molestæ afflictionum turmæ. At vero indulxit plus iusto appetitu ciborum incongruorum, vini generosi, plus licitam, quantitatatem assumit, atque compactum panem, quem spiras vocant, comedit; unde vomitus redit. Interea purpureæ illæ maculae alibi copiosiores comparuerunt, in locis quibusdam de cidebunt, atque tandem manus & thoracem affectantes, insignem pruritum ac insomnes aliquando noctes introduxerunt. Crura circa talos tumescere horis præsertim vespertinis visa sunt. Urinæ crassa rubicundo-bruni coloris missæ. Pro potu, quo appetitus terebat, vel cerevisia Duchsteinensi vel huic simili usus est. Haemorrhoidalis prodiit iterum fluxio, albusque bis de die respondit. Transgresso septem vel octo dierum spatio, exanthemata purpuracea disparere atque arescere coeperrunt. Quum autem pulverem lenitivum rhabarbarinum, obseruent Medici ordinarii, scutidorum humorum magna semina fuit educta. Hinc crurum tumor imminutus, quem tremor manus & brachia cumprimis intentans, oris quoque siccitas insecura est. Remedia quod attinet, agro opitulandum erat; quippe potus loco, mox cerevisia Duchsteinensis cum

gela-

gelatina cornu cervi permixta, mox gallinarum iuscula cum radicibus cocta, quandoque etiam salsaparillæ decoctum usurpata atque interpolata fuere: ex medicaminibus, essentia stomachalis liquori anodynō nupta, post meridiem pulvis absorbens cum pulvere cascariæ permixtus, & vesperi bezoardicus pulvis obferebantur. Purpura alterius desiccata, crustam, qualis in scabie ferina sicca conspicitur, reliquit, cutemque rugosam ubique reddidit. Aliquando pituitosam ventriculus materiam eiecit, qualem faucium quoque glandula stillarunt. Somnus quidem multus, sed parum reficiens. Pulsus mane frequens & validus, vesperi debilis micavit. Excrementorum foetidus odor, virium prostratio omnimoda, corporisque emaciatio observata fuerunt. Medicaminum modo recentiorum usus continuatus quidem: sed febris tandem accessit inflammatoria, quæ leviter adeo adfixit, ut, omnium adhibitorum spe protinus elusa, ægrotans illustris tam diri morbi vehementer viætrices dare manus debuerit. Peracta post mortem sectione, panniculus adiposus, una cum renibus, intestinis tenuibus, vesica urinaria, inflammatione correpta comparuerunt; lien putredine exesus, ita ut tactu in liquamen satisceret; ventriculus flatibus distentus; vasa gastrica fagine crasso infarcta; diaphragmatis sinistrum latus corruptum, conspicienda fuere. Pulmones inflammatione obsecsti, colorem ex atro coeruleum induerant. Pericardium liquore carebat, cor flacidum, multo atro sanguine repletum. Glandulas mesenterii scirrus infestarat. Hepatis gibbosa pars maculam inflammatoriam ostendit, cuius vesicula tellabile erat repleta.

RESO.

RESOLVTIO CASVS.

§. I.

ENnarravi sic morbi exitum minus felicem sortiti historiam, & quod confido, nullas, quæ nostro scrutinio argumentum suppeditare poterunt, necessarias circumstantias vel omisi aut neglexi. Jam, uti propius ad resolutionem singulorum in præfato calu occurrentium phænomenorum me accingere debo; ita eo annitar, ut quæ in *Præfam.* rudi penicillo adumbravi, breviter & quantum vires permittent adimpleam: scilicet id agam, ut ratiociniorum cum phænomenis, facta inter se collatione, consensus appareat. Igitur, ut in tam ardua re rite atque prudenter procedam, quæcunque sensibus externis in casu nostro obvia fuere, singulatim, tanquam fundamenta enarrationum sequentium solerter expendere atque præmittere iuvabit, ut suum cuique ius maneat, quo corpus nostri subiecti, de quo iam sermo erit, alterandi, ad mutationes varias disponendi vel plane destruendi gavisum fuit. Atqui, ubi effectus illos morbosos, ex præcedentibus, occasionalibus, proximis vel immediatis causis provenisse atque sub huiuscmodi rerum facie oriri debuisse, ex veris principiis demonstravero; in curatione ipsa omnibus indicationibus, qua fieri potuit, satisfactum suisse ostendam, & tandem, mortem nulla humana ope aut scientia superabilem necessario secutam evincere studebo.

§. II. Evidem non dubito, fore plerosque, quibus in enarratione præsentis morbos status fortean nimius visus fuerit, eo, quod integrum morbi qui præcessit historiam plenius consignavi: sicut quoque non deerunt, qui superflua iudicabunt, quæ in sequentibus prioribus §. §. generalius paulo tradere constitui. At vero, in iudicando modum tenebunt, ita

B

qui

qui sentiunt, si in perfectione huius tractationis ulterius progressi non tædeat: palam enim factum iri autumo, quanti momenti & quam necessaria illa fuerint, dummodo perutiles multas usui factas conclusiones me inde deduxisse animadventent. Insuper etiam uberiorem fidem dabit Ill. Dn. PRÆSES loco in *Præf. cit.* ubi morbi historias, quam fieri potest, complettissimas ut consignent, Medicis auctor est.

§. III. Ipsum nunc casum mihi consideranti primum se obseruat illustris nostri corporis constitutio, sive sic dictum temperamentum: quod ut paucissimistangam, dicendarum, quem mihi proposui, ordo requirit. Erat nimurum sanguineum. Sed nolo in characteribus huius temperamenti moralibus, uti interdum mos fert, enarrandis immorari. Modo ea recte atrendam, quæ experientia docet, ne rem claram perplexis quibusdam vocabulis, aut disceptatione philosophica impediam. Otium autem mihi fecit PRÆSES illustris: cuius definitionem *Med. rat. Syst. Tom. I lib. 2 r. 12, p. 438.* insertam, meam facere licebit. *Sanguinet,* inquit, *vocantur, quibus habitus corporis spongiosus est, & laxè cohæret, qui venas copiosas sed exiles atque angustas obtinent, per quarum atveos sanguis placide & secundo flumine decurrat.*

Ex moribus temperamenta dijudicare Philosophi plerumque, quin Medici etiam nonnulli assolent. Sed, quam fallax haec sit observatio, quotidie experimentum facere licebit. Videas enim sanguineum nunc simulare melancholicum, & sic porro, prout vita felicis commoda id iussarent: & sic in conclusionibus formandis maiori cautione opus esse facile perspicis. Quid vero obstat putabis, quo minus audacter pronunciem, Medico talen cognitionem vel prorsus inarilem esse. Ponamus hypothecum sanguineum me consultum adire, hunc ego ex moribus melancholicum, vel, quia facile irascitur, cholericum appell.

appellitare debeo: quum ubique statui corporis status animi conveniens sit. De cetero temperamentum sanguineum a morbis facis diu immune est, quia blando flumine undæ vitales per vasculosum corpus iaculantur; si modo vitæ institutis ei succurratur: id quod noster luculenter etiam testari poterit.

§. IV. Hareo adhuc circa corporis constitutionem nostri subiecti: atque, dum ita meditor, hæc elicio. Fluidorum constitutio a solidorum dispositione pendet (*Physiol.*). Quum igitur vasa exilia (§. 3.) tantam fluidi molem (*de figura logior*) non capiant ac quidem maioris diametri vasa (*p. exper.*): globulus autem sanguineus maioris diametri sit ac *hæmos* & lymphaticus (*Levvenhaeck*); temperamentum sanguineum majori lymphæ & seri, quam temperamentum melancholicum aut cholericum, quantitate gaudet. Pari modo concludo. Vasa plura sanguinea maiorem sanguinis quantitatem capiunt, ac quidem pauciora: sed sanguinei copiosioribus vasis sunt dotati (§. 3.). *E. sanguinei majori sanguinis copia gaudent.*

§. V. Ut in proposito tramite rite procedamus, ætas, utrum mutations quasdam in nostro subiecto producere potuerit, dispiciamus. Versatus est Vir illustris in ætate maxime provectioni, quæ annos quinquaginta excessit. Attendamus ergo sequentia.

Non est de nihilo, quod ætatis considerationem inculcent Medicis rationales: hæcce quippe non parum utilitatis adfert. Et enim robur corporis per ætatem incrementum capere experientia docet.

§. VI. Omnes corporis humani partes maiores ex vasis constare, in vasa minora, minima, membranas vasculosas, simplices, denique in fibras atque fibrillas resolubiles, docuit ac folide demonstravit Ill. BOERHAAVE, identidem Cl. SCHREIBERVS (in *Physiol.*). B 2

§. VII.

§. VII. Per maiora æque ac minima vasā (§. 6.) liquidum in statu naturali, continuo ferri, per experientiam æque ac per rationem cognitum est.

Inflige parti corporis, cuicunque fere, vulnus, aciculae tenuissimæ ope, & statim effuet humor quidam. (conf. Boerhaave, tr: de vi-ribus remed.).

§. VIII. Perennis ille fluidorum motus (§. 7.) in maioribus præsertim vasīs, reciproca dilatatione & contractione, quas systolen & diastolen Medicorum scholæ appellant, absolvitur. (*Physiol.*).

§. IX. In systole, vas illud (§. 8.) naturali diametro gaudet, in diastole violentam diametrum i. e. naturali maiorem patitur.

§. X. Sit iam vas quodcunque in dilatatione (§. 9.); tum vasīs huius parietes extrudi debent, siveque vaseulorum illud perreptantium æque ac membranas & tunicas huius constituentium diameter minor fieri, sive a sanguine in vas illud agente atque dilatante comprimentur.

§. XI. Compressis sic vaseulis minoribus, minimis (§. 10.) humidior pars exhalabit, remanente crassiori; quæ ad latera vaseulorum se apponens, sive in interstitio parietum se insinuans, eorum capacitatem minuet, *E. vascula illa arcta evadent.*

§. XII. Durante hac particularum ad parietes vasorum appositione vel insinuatione (§. 11.); tandem eorum cavitas adimpletur atque obstruitur. *Hinc ex vaseulis minimis fibrae solidae emergunt.*

§. XIII. Quo ergo diutius fluidorum motus perennat (§. 7.); imo, quo validius fluida in solida agunt hæque distendunt (§. 10.); eo plura vascula in fibras fatiscunt. Sed, dum

dum in ætate maxime proiectiori versatus est noster (§. 5.); omnia & singula hæc ita in eo contigisse necessarium est.

Docent hoc arteriae in sensus plane incidente modo, quæ quo propiores sunt cordi, i. e. quo validius fluidum sanguineum in ea agit, eo citius in osseam substantiam degenerant: quin etiam de hoc phænomeno testantur, tot magnificis nominibus passim celebrata ossa de corde cervi. Possem equidem conclusiones meas ultra extendere: sed, quoniam hæc scopo sufficiunt, hic subsisto.

§. XIV. Secretiones & excretiones fere omnes in minimis vasibus contingunt (*Physiol.*), vel vasa secratoria & excretoria sunt minima. Sed in nostro subiecto vasa minima alia arctiora, alia solida facta (§. 11. 12. 13.), E. *secretionis & excretionis negotium non ita rite atque libere processit.* Q. E. D.

§. XV. Per secretiones & excretiones sanguinis & humorum copia alias minuitur. Sed in nostro casu hæc ipsæ non tam larga ac debita quantitate successerunt (§. 14.). Hinc *sanguinis moles maior solito evadere debuit.*

Prolixiores Tibi forsitan hæc meæ, de ætate, cogitationes videbuntur; sed tunc rationes in Medicina Te vel negligere vel vilipendere restaris. Si autem ex Ontologia perspexeris, tum demum veritatem maximæ habendam, cum demonstrare eam valeamus; meditationes meas haud agre feres. Enim vero si in meditando prosequi metam semel cœptam vellem, ex hac consideratione una fluueret: mortem rationem sui sufficientem in fabrica corporis habere, principio vitali vel invito; quod argumentum, ill. Dn. PRÆSES inter primos in medium protulit (conf. *med. rat. Syst. T. I.*).

§. XVI. Dicit me casus præsentis suscepta tractatio ad victus & vitæ regimen decūlamenti nostri hæc tenus solempne. V̄sus enim est diæta laitia. Hanc appollo, si quis alimenta nutritibilia, nec non vina in primis generofiora, maiori, ac ad

vita usum necessaria erant, quantitate ingerit. Nutribilia autem sunt, quæ proxime ad chyli naturam accedunt.

§. XVII. Nutritiva quum parum in C. H. immutanda sint (ex defin. §. 16.); ad horum digestionem minori stomachi vi opus est. Hinc citius e ventriculo promoventur, copiosior remque chylum largiuntur. Ex chylo autem sanguis nascitur. E. in nostro, ex §. 16. *massa sanguinea incrementum cœpit.*

§. XVIII. Vina spirituosa, quorum censum præ aliis suheunt generosa Hungarica, motum expansivum humoribus inducent (conf. exper. chym.). Sed humores expansi maius spatium affectant: & sic, ex hoc etiam capite, humorum massa, in nostro casu, augmentum accessit.

§. XIX. Porro ad intermissum corporis exercitium, ut oculos convertamus, non incongruum erit. Etenim reciproca contractiones & relaxationes fibrarum muscularium sanguinis motum maxime intendunt & adiuvant (conf. III. PRÆSIDIS *Physiol.*). Quum igitur siluerit in nostro voluntarius hicce motus; fluidorum tardior per alveos suos fieri debuit progressus.

Admirabimini stupendam immensum Numinis bonitatem & sapientiam, qua illud, omne damnum, quod ex intermesso motu in hominem redundare porerat, prævidens, sanitati quam maxime accommodatam promulgavit legem, vi cuius, in sudore faciei panem comedere deberet. Atque egregia plane sunt quæ de motus multiplici usu orbi communicavit III. Dn. PRÆSES passim in scriptis. Scite quoque GALENVS com. XI. §. 15. scripsit: *exercitatio supplet purgationem vitiosorum humorum, qui in corporis profundo sunt.* Otrum vero, secundum Hippocratis dictum, humectat & debilitat.

§. XX. Secretiones & excretiones, quibus superflua & inutilia, partes maxime salino-sulphureæ, e corpore eliminan-

nantur, a libero & expedito sanguinis & humorum motu pendere (*Physiol.*). Sed in nostro fluidorum motus tardior (§. 19.). E. *secretiones* & *excretiones* debite non peracte. E. *massa humorum impurior reddita*. E. (per §. 15.) *haemus quantitas aucta*.

Apparet in animantibus hoc phænomenon, quæ quo minus motu exerceuntur, eo maiorem in molem corpus increscit, maiusque pinguedinis pondus in sinu acquirunt: ut inde etiam, ex *Ill. Dni. PRÆSIDIS sententia* (*Med. Syst. Tom. I.*), saginandi artificium repeti possit.

§. XXI. Vitalis illa purpureo splendore in arteriis & venis C. H. rutilans unda, sanguis dicta, ex partibus heterogeneis, &, præter aquam portionem, gelatinosis plurimis facile a se invicem secedentibus constat. Testantibus experimentis *Chymicis* & *vulgaribus*.

§. XXII. Particulae hæ (§. 21.), quando proportionate combinantur, intimius coniunguntur, ut corpus continuum quasi efficiant, iusta huic mixto fluiditas ubique manet (*Exper.*).

§. XXIII. Justa igitur liquidi sanguinei fluiditas (§. 22.), sufficientem partim serosalium molecularum interpositionem, partim proportionatam globulorum purpureorum magnitudinem requirit. Atque hæc particularum proportio ac figuratio, motu illo circulatorio in C. H. obtinetur (per *exper.*). Sub quietiori autem ægri nostri statu, fluida in alveolis suis tardius processerunt (§. 18.). E. *insta sanguinis fluiditas periit*. Et, cum crassities sanguinis in particularum illum, constituentium coalitione, solidarumque maiori copia constat, hæc prioris locum occupabit.

Sanguis e vena missus, quieti redditus in coagulum abit, i. e. fero-

serosæ partes ex intersticiis globulorum purpureorum secedunt & volant, crassioribus fundum perentibus. Huc spectat, quod calor, modus sanguinis a Celeb. Bærhaave dicatur; qui non, nisi motu illo Circulatorio in C. H. obtinetur. (conf. Cl. Schreiber. l. c.)

§. XXIV. Exhibui vobis generaliorem ac veram primæ scaturiginis malorum in nostro caſu obviorum ideam: ex qua singula ſubſequuta, incommoda originem traxisse poſtea evincam. Jam, ſi in memoriam vocare placebit, quæ (§. 4.) de temperamento propolui; quæ (§. 15.) per demonstrationem erui; quæ (§. 17. 18.) innui, & tandem quæ modo (§. 20.) tetigi: certe, niſi me omnia fallunt, palam nunc erit, ſub hac rerum facie ſanguinis plus iuſtiorem quantitatēm in corpore praefentem fuifſe. Sed talem C. H. statum appellant Medici plethoricum: qui quantum corpori obſit vel proſit, nunc paulo penitus ſcrutabimur.

Quia plethora futuri morbi rationēm ſufficientem in ſe contineat; haec ſignum prognosticon fluxus hæmorrhoidalis & purpura scorbuticæ dicerut. Cogitanter ſcripſit Ill. Dn. PRÆSES, Tom. II. Med. Syst. c. II. X. § 8. Nihil eſt, ſi forſan venena & animi affeſtus exceperis, quod tantam ruinam ac perniciem corpori minetur, atque illud tam gravibus morbis obnoxium reddat, quam nimia ſuccorum abundantia. Elegantia quoque ſunt quæ de hac re prodidit Celsus Lib. II. c. 2. quod plethorici bona ſua ſuſpetta habere debeant; quæ, uti pergit, quia neque in eodem habitu ſubfert, neque ultra progredi poſſunt, ſere retro quæ ruina quadam revoluuntur.

§. XXV. Plethora eſt ſanguinis maior in corpore abun- dantia, ac huius vel vaſa vel vires ferre poſſunt (conf. Ill. Dn. PRÆSES l. c.).

§. XXVI. Reactio corporum eſt actioni æqualis (Mechan.). Sed poſita plethora (§. 24.), ſanguis in cor & eius vaſa

vasa fortius agit. E. maiori vi reagente cordis & vasorum opus est.

§. XXVII. Omne corpus elasticum diu ultra elaterem suum extensum, elaterem suum perdit. Hinc si diu ultra modum cor & arteria dilatantur, elater eorum minuetur. Verum, ex definitione plethoræ (§. 25.), hac præsente, cor & vasa magis dilatantur. E. in nostro subiecto (§. 24.) cordis & arteriarum elater minutus est.

Vides adeoque æquilibrium fluida inter & solida tolli: quo subblato, sanitas, quæ in eo consistit, pericitabitur (conf III. Dn. PRÆSIDIS Med. Syst.). Nemini autem scrupulum moveant verba: elater, elasticitas, reactio, resistentia, vis elastica, substitui enim potest, si malint: tonus. Enim vero Physices vel Mechanices peritus singula hæc eadem sunt.

§. XXVIII. Motus ille humorum progressivus, maximam partem, a robore & elatere cordis & valorum pendet. Igitur, cum in nostro casu cor & arteria iusto suo labore private sint (§. 27.); sequitur: motum humorum non tam expedit successisse.

§. XXIX. Progressus humorum in minoribus & minimis vasis, vi cordis quamvis non omni debetur (Physiol.); sed vis cordis in minoribus, ob tot curvaturas, gyros atque inæmendos, naturaliter minor est. E. humorum motus in minoribus & minimis tardior erit (per §. 27. 28.).

§. XXX. Sanguis tardiorum circulum obtinens, fluidas & mobiles maxime partes e finu dimittit (§. 23.). Hinc, stante §. 28. gelatinosæ ac terrestres, crassiores in vasis remanebunt, subtilioribus per poros avolantibus. i. e. Spissitudinis notio in sanguinem cadet. Evicta autem §. 20, sanguis impuris salibus resertus erit.

§. XXXI. Sanguis spissus crassior atque salibus resertus
C (§. 30.),

(§. 30.), specificam gravitatem acquirit: & tunc fortius aget in vasa eum continentia. Sed, crescente actione sanguinis, maior requiritur cordis & arteriarum reactio (§. 26.). E. ex §. 30. *cordis & arteriarum vis iterum minuitur.*

§. XXXII. Quando fluidorum actio superat resistentiam solidorum; fluida movenda tardiori gradu procedunt, ut quasi subsistere videantur: & tunc dicuntur stagnare: stasis vero plenaria in quietem inuoluit.

§. XXXIII. Sunt quædam C. H. partes ita locatae atque constructæ, ut sanguinis & humorum itus & reditus per easdem difficilius ac per alias naturaliter procedat (*per exper. Anatom.*). Sed ubi humores, ceteris paribus, naturaliter tardius procedunt, ibi facilius stagnatio obtinebit. E. *in quibusdam C. H. partibus humores faciliter stagnant.*

Non est, quod singularem tales vasorum structuram ad imperfectionem C. H. referamus, quæ potius omnibus numeris absolutam perfectionem & sapientiam ter adorandi Artificis loquitur. Ut enim impedimenta & obſtacula poneret, ne æque citato ac veloci cursu, per omnem corporis compaginem, humores ferrentur, utique opus erat, sc. si intima corporum sanguinem efficientium combinatio, tot mille commoda corpori præstans se & excretoriū negotium, ipsaque machinæ nutritio farcta & testa manere debeant.

§. XXXIV. Sanguinis cursum naturaliter minus velocem in liene, pancreate, hepate, vasis intestinorum, mesenterio, omento, ac in reliquis esse, harum partium situs, vasa adeo incurvata, replicata, contorta, ut glandulas æmulentur, nec non officiū, plane evineunt. Recurramus nunc modo paulisper ad ea, quæ superius proposui. Etenim §. 24. plethora præsentiam, in nostro casu, palam feci, & ex hac, ut opinor, demonstravi, cordis & arteriarum vim imminutam

(§ 27.);

(§.27.): simulac vero languidum humorum motum evasisse (§.28.), coëuntibus ac cohærentibus globulis purpureis (§.30.), ostendi. Nunc nihil amplius restat, quam ut concludentes meas formem, & quidem ita: Si quando progressus humorum in universa machina tardus, illi in iis partibus ubi naturaliter ita procedunt, magis tardiorem cursum nanciscerentur. Sed prioris propositionis veritas, ex §. 28. & 30. appareat. E. *in abdominis visceribus tardius adhuc evadet.* Jam si ad §. 29. respexerimus, eumque cum hac nostra propositione contulerimus, ex regula proportionis applicatione, manifestum erit, gradum tarditatis in minoribus & minimis priorem superare. *Et tunc in hisce, si recte memini, stagnatio obtinebit.*

§. XXXV. Stagnante sic in minimis viscerum abdominis sanguine (§.34.), is qui in arteriis continetur, a tergo perpetuo urget, parietes vasorum extorsum agit, continuaque solutionem intentat: ex qua apparitione in partibus nervosis præsente, *pressio* atque *doloris* notio emergit.

§. XXXVI. Quando fluidum nerveum in fibras musculares valido & diurno impetu influit, oritur spasmus. Sed nimia vasorum dilatatio influxum fluidi nervosi proritat. E. *in visceribus abdominis spasmus orietur.*

Confirmabit sententiam meam ill. Dn. PRÆSES Tom. II Med. Syb. nec non Celeb. Boerhaave in tr. de virib. medicam: qui docet, quod ea, quæ canales valido nisu suo ita dilatant, ut diametrum longitudinalis minor, latitudinalis maior fiat, spasmum inducent. Ex dictis etiam ratio petenda erit, quare pressio, dolor & spasmus antecedere debeant fluxum hæmorrhoidalem, atque molimina vocari possint hæmorrhoidalia.

§. XXXVII. Intestina quam maxime vasis sanguiferis abundant, ex ramo mesenterico provenientibus, eoruinque

substantiam perreptantibus. Hinc si stagnatio in vasis viscerum obtinet (§. 34.) haec ipsa eodem modo afficiuntur. Sed ita simul tunicae intestinorum premuntur, nervaeaque cum musculari ad hui contractionem stimulantur. E. *Spasmus intestinorum præsens.* quo remisso, debilitatis vitium aderit.

§. XXXVIII. Absque demonstratione sumo, tanquam rem ubique obviam: parte quadam spasmo affecta, omnes illas quæ communies cum eadem nervos habent simili modo affici. Ideoque spasmo intestinorum præsente, ventriculum cum annexis partibus, item vesicam urinariam &c. compati necesse est. Conf. Ill. Dn. PRÆSIDIS Tom. III. Med. Syst. Cap. V. *de consensu partium nervosarum Sc.*

Anne ex dictis idea saltim enascitur famosi illius hypochondriaci mali? scintilla certo certius adsum; que nisi satis cito fatue prudenter extinguentur, temporis diuturnitate in apertam flamnam erumpunt non ita facile extinguibilem. *Præcept. auxili. §. XXXIX.* Arteria mesenterica superior tenuibus intestinis prospicit; inferior ad crassa abit, insignemque ramum recto porrigit, arteria hemorrhoidalis interna nomine notum: superior quoque cum inferiore per anastomosin communicat: venæ vero sic dictæ hemorrhoidalis sat notabiles rami, recto trahit ascendunt & in ramum mesentericum, una cum iis quæ ex tenuibus sanguinem reducunt, collecti, quandoque in splenicum terminati, ad portæ venam cruorem suum amandant (*Anatom.*)

§. XL. Atqui nunc progreditur sanguis in abdominis visceribus lento admodum gradu (§. 34.), & omnis fere ad portæ venam confluit (*Physiol.*). Sed in portæ venæ idem circulus est signior (§. 29.). *Hinc sanguis heic refluens, retardatur ne cesset est.*

§. XLI. Retardatus sic circa portæ venam crux, maiori

ri

ri vi & impetu retrosum in subsequentem ager, sive fortius resistet; qui cum gravior specifice factus fuerit (§. 31.), atque linea perpendiculari in vase hæmorrhoidalí venoso interno feratur (§. 39.) ; fortius longe, ac alias, retro premet. Sed resistentia sanguinis in venis circulantibus superari debet a sanguine subsequente arterioso (*Physiol.*). *In crescente itaque resistentia, in crescere debet vis arteriarum.*

§. XLII. Pressus sic antrosum, retrosum sanguis (§. 41.) vasorum parietes ubique extrorsum protrudet, ardoremque, particulis tunc mutuo in se agentibus, concitat. E. ex §. 36. *Spasmus oritur.*

§. XLIII. Spasmo sic affecto intestino præfertim recto, ob nervolam sensibilem maxime tunicam, & ob insignes vene hæmorrhoidalí adiacentes ramos cruento turgidos presso (§. 40. 42.): quum intercipiatur plane ad portæ venam refluxus, sanguisque a tergo magis urgeat; is viam qua potest intrabit. Sed adsunt vasa exhalantia pariter ac inhalantia ab arteriis & venis oriunda, lateralia dicta, sanguinis globulum non capientia, dilatabilia tamen (*Physiol.*). E. *hæc ipsa crux intrabit:* quæ aucto horum diametro tandem dehiscunt, atque sanguinem plorant. Quum autem in minimis arteriolis, ubi in anastomosis cum venis abeunt, sanguis identidem maiori copia & impetu urgeatur, atque hic ipse acrioribus particulis resertus sit (§. 20.); similiter eruptionem, horumque dilacerationem contingere nemo dubitabit. E. *hæmorrhoidalis fluxus præsentia.*

§. XLIV. Habes nunc in præcedentibus demonstrandum hæmorrhoidum fluxum. At vero per hunc ipsum tam præsentium quam subsequendorum minera malorum subducta est (§. 24.): & ita commodum corpori præstabilit. E. *hæmorrhoidalis fluxus salutaris, in nostro, habendus.*

De salubritate huius fluxus multa dicere supersedeo. Limitibus certe suis haec ipsa circumscripta est. Tribuant autem encomia, quanta quanta velint, quibus lubet; non invideo. Ego certe proposito meo satisfeci, ubi ex machinæ structura & affectionibus huius fluxus præsentiam demonstravi. Ceterum vobis, de salubritate huius fluxus, egregia multa, rationi consenteanea suppeditabit Dissertation III. Dn. PRÆSIDIS eodem titulo salutata: que pensitasse ueminem poenitebit.

§. XLV. Occurrit iam novum phœnomenon, hæmorrhoidum cæcarum nomine notum: cuius causa satis obvia. Fiunt heic omnia, simili ac in præcedentibus docui modo. Frigus autem cum constringat partes, resistentia ultimorum oscularum maior facta, ac illa a sub sequente fluido superari poterat. Hinc in lateralibus vasculis vel in ipsis ultimis arteriolarum subsistit, ea expandit, cuticulam elevat, ardoremque concitat.

Haberem etiam hoc loco ampliorem dicendi campum. Brevis autem esse debeo. Cito vobis ideoque dissertationem Celeb. Wedelii: de hæmorrhoidibus cæcis.

§. XLVI. Illustri nostro eodem utente victus & vita regimine, plethora per hæmorrhoidum fluxum prius imminuta, nunc redire utique debebat. Et quin omnia fluida ea semper lege agant, ut ad minimæ resistentiæ locum impetuosis ferantur (ex Hygron.): minima autem arteriolarum pariter ac lateralia circa intestinum rectum serpentia vase ultra modum dilatata, ideoque debilitata sint (§. 43.); facile patet ratio, quare fluxus stata tempora servaverit. At vero per frigus sanguini effluxuro obex positus (§. 45.). E. plethora in nostro permanit status, fluxusque hæmorrhoidalis emanatio.

§. XLVII. Nimirae nunc hæmorrhoides diligentius nostrum scrutinium plane merentur. Inciderunt in ea tempora, ubi diem nocti æquaverat terræ situs. Juvabit ergo perpendere,

dere, quas mutationes in C. H. ver producat. Sed constans peritiorum nos observatio docuit: frequentes sub hoc temporis tractu aëris regnare vicissitudines; mox frigus mox calorem, nunc siccum, nunc humidam & pluviosam incidere tempestatem. Hinc fibrarum rigiditas & flacciditas vicissim afflidunt, quarum utraque affectio debilitatis nomen adipiscitur. Postremo etiam putridæ exhalationes per solis calorem e terra extractæ adscendentæ, sub atmosphæra frigida iterum descendunt & corporis poris se insinuant. Conf. ill. Dn. PRÆSIDIS Med. Syst. Tom. III. c. 7. qui Martiuin men-tem, ob plurimos morbos & mortes quas infert, fere infamem deprædicat.

§. XLVIII. Ex iis quæ §. 47. in medium protuli, natu-rali ordine hæ propositiones fluunt. Fluida ubi rarescunt, maius spatiū affectant (*Phys.*): sed, ex calore, sanguis rarefit. *Hinc vere amplius spatiū affectabit.* (Docet hoc pulsus magnus sub verno tempore nunquam non observandus). Simili modo concludo: Fluida quo spirituosa, eo facilius se expandunt; Sed in nostro, ob vini generosi potum, sanguis spirituosa. *E. calore vernali accedente, magis se expandet.*

§. XLIX. Progredior ulterius, atque ex tempestate hu-mida (§. 47.) fibrarum laxitatem evinco; qua præsente, se-cretiones & excretiones imminentur: quibus si accedit hye-malis humorum collectio, putridarumque particularum in corpus descensio; si recte memini, non modo humorum im-puritas (§. 20.), sed & plethora tam ad vasa quam ad vires in nostro casu obtinebunt (§. 25. & 27.): quin etiam ex §. 30. humorum spissitudo aderit.

§. L. Corpore sic maiori atonia laborante (§. 49. & 27.), atquè stagnatione iam tum in partibus quibusdam (§. 34.) præsente, in his ipsis stasi ni fallor locus facillimus da-bitur

bitur (§. 32.). At vero inter abdominis viscera nullum minori motuum adiumento gaudet, ac ipsum mesenterium. *E. basis in mesenterio.*

Sanguinis per hepar progressus identidem per lienem cursus, diaphragmatis continuo motu nec non vi ventriculi concostrice multum facilitatur. Eius autem per mesenterium itus, nisi forte voluntario abdominis motu, itemque peristaltica intestinorum virtute promoveatur, nullibi adiuvatur. Sed ex §. 19. & 37. appareat haec in nostro non adeo viguisse. *Hinc certe mesenterium omnium primo fluxim perpeti debebat.*

§. Ll. Atqui, omnes & singulae §. 47. & seqq. enarratae atque demonstratae causae eo nunc collineant, ut machinae ruinam minentur. Etenim plethora (§. 49.) vasorum parietes nunc extrudat. Accedat calor vernus: & continua dissolutionem plane intentabit. Sic quaret iam amplius spatum mare illud purpureum tumefactum, ruet importunius in vasa intestini recti (§. 46.), oborietur spasmus (§. 36.), vasculaque dehiscentia, sincerum sanguinem tandem plorabunt (§. 43.). *Aderit itaque fluxus haemorrhoidalis apparitio.*

§. Lll. Respice porro, mesaraicorum vasorum obstruktionem, sanguinis in pancreate, liene, hepatisque ampio visceri tardiorem progressum. Anatomica (§. 39.) in subdium voca, nec non acrimoniae rationem habe: & tunc sanguis per arteriae mesentericae superioris dispersos undique ramulos progredivelasci, (§. 50.) lege hydraulica impetuosius maioriique quantitate ad ramum inferiorem ruet. Pariter ac, crux ad portam per haemorrhoidalem venam tendens, obstacula maiora reperit atque fortiori nisu deorsum premit. Quid tum? *E. fluxus haemorrhoidalis copiosior.* Sed acria vasa dilacerant: quæ cum agglutinati non tam facile possint; ex hoc simul capite fluxus diutius durantis ratio petenda.

Simi-

Simili ratione crux a ventriculo, per brevia vasa, ad splenicum ramum & sic ad portæ venam reducendus, in hac remoram paſſus, tardius per ventriculum progredietur, huius tunicas distendet: & sic ventriculus imbecillitatem contrahet. Ceterum de acrimonia, quam supra demonstravi, falsæ illæ oculorum defluxiones etiam testimonium præbent.

§. LIII. Symptoma, fluxum §. 52. descriptum conco-mitantia, quod attinet; horum explicatio minus negotii faciliſſet iis, qui ex Prolegom. Sect. I. Tom. IV. Part. II. Med. Syst. Ill. Dn. PRÆSIDIS didicere: sub omni haemorrhagia spasmum affligere. Nimurum sub spasmo humores alibi copiosius congeruntur, & quidem si in inferioribus adest, ad superiora feruntur. Id quod clariori luce radiat, si in memoriam revocaris, quæ Neurologia docet; par scilicet neruorum vagum & intercostale ad omnes in abdomen reconditas partes ramos suos spargere, diaphragmati, ventriculo, pancreati, intestinis, menterio, nec non vesicæ, quæ etiam firmius recto intestino conneſtetur, surculos præbere, neque minus hinc inde plexus renales, splenicos aque hepaticos constituere. Atqui hinc facile perspicitis, modo conferatis, quæ: *de consensu partium*, tradidit Ill. Dn. PRÆSES, quare constrictius in pectore & abdome sensus, stimulus urinam mittendi, cetera, indiuulsi huius mali suerint comites.

§. LIV. Interea, quum spasmo præſente, ad superiora humores ferantur (§. 53.); ventriculi vasa plus iusto dilatabuntur, atque ex hoc etiam capite spasmo huic inducto, qui ob validum fibrarum attritum atoniam relinquit (Pathol.), ventriculus imbecillitate laborat. Sed ita vis eius contractilis minuitur. E. ciborum concoctio vacillare, viscidaque materia generari debuit.

§. LV. Igitur, malum huiusmodi faciem repræsentans

D

matu-



maturius atque exactius iudicium merito exposcebat. Enim vero, causas tollere annitatur, qui remotionem effectus cupit. Sed plethora per nimiam crux effusionem satis, ut puto, fuit imminuta. Attamen, ut largior humorum affluxus, a partibus inferioribus averteretur, atque aequalis per omnes partes circulatio redderetur, venæ in brachio instituenda pertusio, non sine ratione, fuit commendata.

§. LVI. Pørro, fluxilitas spissis humoribus reddenda, ut quoscunque corporis maxandros expedite iterum pervadere possint, neque minus hostilis illa acrimonia corrigenda erat. Pro utroque igitur scopo obtinendo, convenientius excogitari non poterat remedium, ipsis Spadanis fontibus: quorum virtutes per varia instituta experimenta exquisite eruit Illustr. Dn. PRÆSES in Dissertatione: *de convenientia Spadani cum Schuvvalbac.*

§. LVII. Cur V. S. singulis annis reiteranda, ex §. 4. 5. 16, intelligitis.

§. LVIII. Dein, quum spasmo plurima mala deberentur (§. 51. & 54.), hic ut complacaretur, nec non, ut organicus ille humorum motus (§. 48. 51.) coereceretur, omni cura respiciendum erat. Optime his indicationibus satisfacit, pulvis præcipitans & liquor sic dictus mineralis anodynus Ill. Dn. PRÆSIDIS, quo, mea quidem sententia, quum quotidiana me observet experientia, non datur tutius atque blandius sedativum.

§. LIX. Postremo, stomachi & intestinorum habenda erat ratio (§. 37. & 54.), ut ex hac digestionis officina, temperatus blandus & satis subtilis, ad sanguinem apportaretur elythus, sordiumque simul excretio promoveret. Præstit id non semel balsamicum illud Ill. Dni. PRÆSIDIS Elixir viscerale: quod eo convenientius nostro decumbenti erat, quo ma-

magis nocuum fuisset, calida propinando, ebullitionem in sanguine concitare. Moderamen in vixiu quærendum ventriculi debilitas suadebat (§. 52. not.). Motus autem voluntarii utilitas ex §. 19. elucebat.

Hæc vero erant, qua successu prosperrimo ad usum proposuerat, Ill. Dn. PRÆSES, remedia. Miraberis fortasse, ex tanto & tam late sece extende, phalerata oratione magnificisque encomiis ornatorum remediorum penu, tam pauca, vix nominanda, simplicissima se elegisse. Sed perspexisti indicationibus omnibus, quantum fieri potuit, fuisse satisfactum. Atqui hinc omne in curatione punctum latum fuisse ex facili colliges. Facit in rem nostram, præclari Medicinae scriptoris Baglivi, egregius locus lib. de Medic. solidor. Frustra, inquietis, curas chronicos aut acutos morbos. per purgantia, diaphoretica, diuretica, aliaque id generis, nisi solidorum & liquidorum naturam ad rectum ordinem ducas. Conf. elegantem Ill. Da. PRÆSIDIS dissert. de medicina simplicissima summa efficacia.

§. LX. Ut in via semel ingressa persistamus, oculos in nimiam illam hæmorrhagiam (§. 52.) desigere iuuabit. Etenim in Physiol. si recte memini, argumentis indubii evincitur: omnem in C. H. motum, a tono solidorum, influxu fluidi nervi & sanguinis arteriosi dependere. Sed robur solidorum a plethora primum imminuebatur (§. 27. & 49.) & fluidum nerveum ex sanguinis defectu (§. 52.) sat copiosum secerni non potuit, neque sanguis sic in omnes partes expedite influxit. E. motuum fere omnium adjuit segnities. Hinc debilium classem nostrar. supplevit.

Confirmit, quæ in §vo, hac edixi, ex matura experientia enata Ill. Dni. PRÆSIDIS verba, Tom. III. A Med. rat. Syst. S. I. c. XV. §. 26. differentis: *Inbecillibus, ratione etatis, senes & infantes; ratione corporis structurae, qui repleti multisque & extilibus vasculis instructi sunt, annumeramus: item qui precedente diu-*

turno morbo, vel immodicis sanguinis profusionibus &c. vires attri-
verunt & consumserunt.

§. LXI. Igitur, debilitatis vitio corpore nostri subiecti laborante (§. 60.), quæ in illud redundaturæ sint adfectiones, dispiciam. Ordinar autem a ventriculo, cunctis in corpore obviis vasis humorem parante & suppeditante. Nam vero, ventriculi vi imminuta, consuetam alias cibi quantitatem subi-
gendi, is nunc impar erit. Sed noster ad ventriculi sui vim nullam rationem habuit (Hist. morb.). Hinc cibi ingesti, de-
bitam mutationem in ventriculo non subierunt.

§. LXII. Cibi sic in ventriculo parum communuti & a ven-
triculi parietibus contriti (§. 61.), tandem ad intestina pro-
pulsi, exquisitiorem præparationem exposcent. Sed hæc ipsa a morbo identidem debilitata (§. 60.), minori in cibos agen-
di facultate gaudent. Unde chymus moram primum hic ne-
tet, atque aciditatem & vappescientiam contrahet; dein minus laudabilem, sed crassum, tenacem & acrem chylum e
sinu dimittet.

§. LXIII. Indigestus nunc chylus ad sanguinem prope-
rans, cordis & arteriarum robore ex communi vitio (§. 60.) in-
fracto, intimam in pulmonibus combinationem & mixtio-
nem haud subiturus erit. E. *sanguis evadet impurus*: & quum ad generationem globuli purpurei, motus sat validus & de-
bita particularum moles requiratur, is, viscidio & acri copiosiori
fervo refertus erit.

§. LXIV. Ex arteriis subcutaneis sub squamulis epider-
midis, antequam in venarum tubos replicentur, in omni
corporis puncto innumerabilia patente emissaria (*Ruyshius*), quæ, per cutem, tenuem, volatilem, salsum & sulphureum hu-
morem protrudunt (*Physiol.*). Sed liquidi huius expressio a
debito vasorum robore pendet. Hinc, solidorum tono labi-
facta.

factato (§. 69.), Sanctorianum hoc negotium impeditatur, necesse est. E. crassiores falsæ & sulphureæ partes in massa sanguinea remanebunt.

§. LXV. Massa humorum, quando crassis, vilcidis, variis salinis & sulphureis particulis ad putredinem & corruptionem vergentibus, inquinata est; tunc hæc illa constitutio scorbutica audit (*Pathol.*). Sed, ex §. 61. & seqq. huiusmodi particulis, in nostro, humorum massa abundat. E. *diathesis scorbutica obtinebit.*

§. LXVI. Excretionibus debitibus atque necessariis immunitis (§. 64.) moles humorum accrescat oportet. Idecirco plethora iam aderit; serosa tamen magis quam sanguinea: cuius mentionem facit Ill. Dn. PRÆSES *Tom. IV. Part. II. Med. Syst. l. c.*

Considerari hic omnino etiam debet hyemalis humorum collectio, neque minus habitus corporis §. 3. & 4. recensita constitutio. Utinam vero salutari consilio Ill. Dn. PRÆSIDIS facilem aurem præbuerit ægrotans noster Illustris, & præter alia, ver næsectionem tam sedulo inculcatam admisisset, rem omnem eo quo postmodo stetit, haud devenisse ego quidem auguror.

§. LXVII. Stante nunc plethora serosa (§. 66.), excretionis humores maiori copia ad partes feruntur, quæ, naturaliter, harum determinatam quantitatem secernunt. Quam ob rem in tunicam pituitariam Schneideri, glandulosamque bronchiorum, laryngis & pharyngis copiosius ruent; harum vasa relaxabunt, gravedinem, tussim & distillationes catharrales proritabunt.

§. LXVIII. Aderat autem, Februarius mensis, sub quo tunc temporis, frigida, ventosa, humida & non raro calida tempestas, sece mutuo excipiens, regnabat. Ea propter tonus solidorum, cutis præsertim, remissior, in debili præcipue

D 3

nostro

nostro subiecto, adfuit: sub quo fluidorum progreitus per minima vascula eo difficilior fuit; quo hæc tenaciora erant (§. 65.). E. stagnationem in vasculis minimis contigisse, intrepide concludo.

§. LXIX. Stagnantibus in vasculis minimis, maximeque in cutis porulis, nervosisque bronchiorum & pituitariæ tunicis, ipsaque sub hac stagnatione acrioribus redditis humoribus; fibra distenduntur, nerveæ partes premuntur, laciniantur, quin spasmus tandem oboritur (§. 36.).

§. LXX. Spasmo, cutem præsertim affligente, horroris incedet sensus. Humores sic ad interiora aguntur, atque si rigore corpus afficitur. Maiori sic autem copia ad cor & vasa maiora delati, hæc ipsa ad contractionem sui laceffunt. Copiosius itaque fluidum nerveum ad vasa maiora invitatur, minor idcirco in cutis substantiam influit. Hinc remittit spasmus, motus sanguinis celerior evadit & magis circa vasorum parietes atteritur. Adebat calor & æstus, sitis &c. qui sensim remittentes, paroxysmum finiunt. Atqui sic febrem catharralem, in nostro, demonstravi.

§. LXXI. Laxaris autem de novo vasis (§. 68.), humores secernendi acriores & viscidiiores fiunt. (§. 20). Atque hinc ventriculo nullus aptus dissolutorius humor suppeditatur. Hinc etiam assumta moram diutinam in ipso necent. Sic fibræ ventriculi fortius distenduntur, quarum contractio extemplo sequitur.
Unde vomitus.

§. LXXII. Sub prostratione appetitus, ex languente fibrarum motricium ventriculi vi oriunda, itemque sub vomitu, novus ac blandus succus vel nullus sanguini advehitur. Hinc humorum manifestior acrimonia, humili dissipatio, crassiorum & viscidarum particularum uberior proventus.

§. LXXIII. Spasmo ventriculum laceffente (§. 71.), ex
con-

confessionis lege, cutis simul constringitur. Et hac ratione impurus & tenax ille liquor (§. 72.), obeundis vitalibus motibus plane ineptus in minimis cumpromis vasculis stagnabit, humidum per lateralia avolabit, & subsequens fluidum fortius in illud impinget. Sic vasorum parietes distenduntur: hinc *spasmi, qui sunt horroris & frigoris causa*. Quum autem elater vasorum vi fluidi tenacis cedere debeat, elevabitur epidermis: sicque *cutis asperdo* intelligitur. Ceterum, si conseritis quæ §. 70. asserui, febrem comitem habebitis.

Reliquorum symptomatum explicationi supersedeo: etenim, ex spasmo & humorum acrimonia pariter ac visciditate, hæc ipsa manifestissima erant. De qua re solidiorem Pathologiam consulite.

§. LXXIV. Porro, stagnans in poris cutis liquor maxime serosus, alcalinam plane indolem acquirit, partesque sulphureæ per transpirationem alias eliminandæ aeriores sunt, & dum spiculis suis ad contractionem vala continuo sollicitant, exitum sibi præcludunt: sic liquidior pars exhalat, crassiores particulæ propriæ ad se invicem accedunt, per motum intestinum intime commiscentur, combinantur; unde color purpureus. Deinceps etiam acrene sua hæc materia purpurea continuum dissolvit, vasaque dilacerat. Hinc pruritus & ardor, neque minus vesicula a liquido evalsato formata.

Rubram hoc phenomenon Medici purpuram dicunt: quæ, cum in nostro subiecto a scorbutica humorum diathesi proveniat ac foveatur, nobis scorbutica audit. Interea breviter attingo, partes alcalinas cum subtilioribus sulphureis mixtas ruborem induere, conf. Ill. PRÆSIDIS Tom. I. Med. Syst. S. I. P. 1 c. V. §. XIV.

§. LXXV. Quam egregie quadrent commendata remedia, causis palam factis atque deductis, clarissime perspicitis. Etenim ventriculi spasmus sedandus, humores acres & viscidæ

vifcidi corrigendi, mōbiles reddendi, & de num e corpore blande & sub vaporoso halitu eliminandi erant. Tali virtute p̄r alii omnibus splendere remedia in casu memorata, & ratio & creberrima experientia testes locupletes p̄bent.

P̄fſtiterunt ſane optatum ſuum medicamina propinata effectum. Disparuit purpura, ſedataque ſympotoma moleſtissima. Li-beratur quadantenus morbidum corpus a materia ruinam ſibi minitante, quin in gratiam nunc redire cum ſanitate ſibi & aliis viſus fuit noſter illuſtris. Attamen alte concepta ſpes feſellit. Cuius phœnomeni rationeſ ſequentia illuſtrabunt.

§. LXXVI. Corpus a morbo quoconque ladi atque debilius reddi, absque demonstratione ſumo. Sed noſtrum ægrum iam tum (§. 60.) debiles inter collocavimus. E. noſtrum ta-lem nunc corporis dispositionem fuilſe naclum, quæ vel a leviffima cauſa ladi atque affici poſſit, nemini amplius mirum videbitur.

Debilitas illa, quum conſiſtat in motuum vitalium pariter ac animalium ſegnitie, ab elatere ſolidorum imminuto, fluidi aer-vei defectu vel prava indole, ſanguinisque boni absentia, produc-ta; quam exacto opus erit poſt morbum vitæ regimine! Quam ſollicite temperantium, demulcentium ac blandorum robo-rantium uſus continuandus erit!

§. LXXVII. Sub universali huiusmodi debilitate, ven-triculus p̄ſertim, ob ſpasticam illam crispaturam (§. 71.), inſigni infirmitate laborat. Atque tunc quidem ingeſtis incongruis concoctu alias ſatis diſſicilibus, digerendis atque comminuendis maxime impar erit. Hinc simili, ac § 71. deſcripsi, modo, vomitus torquebit.

§. LXXVIII. Sub vonitu, ductus biliarii, ob conne-xionem cum duodeno & nervorum coiunione, ſinuſ af-ficiuntur: ſic mora deterior reddita bilis ad ſanguinem regur-gitabit. Renes quoque in conſenſum trahuntur, & ſic quo-que

que crassiora per urinam eliminanda salia in corpore remanebunt. Perpende nunc paulo curatus vim illam solidorum omnium in C. H. imminutam (§. 60.); & fluidorum tardiorem progressum, atque ex hac enatam pissecentiam invenies. Ex harum idearum nunc collatione, cum omnia requisita ad eam producendam ad sint, purpuraceæ materia protrusionem ex §. 73. & 74. facilissimo negotio Tibi concipes.

Anne vinum generosum ebullitionem humoribus conciliando, atque acrimoniam si augendo, symbolum suum ad copiosorum macularum productionem contulerit, non est quod longinquius demonstrem: Neque etiam symptomata que demum irrepere, mea dilucidatione indigent.

§. LXXIX. Satis perspicue, ut opinor, §. 34. demonstravi, in visceribus abdominis, sub motu humorum in universo corpore tardiore, stagnationem contingere; imo stagnationem iam tum evici. Id circa recte me conclusurum puto: solidorum robore magis magisque destructo (§. 60.), in quam plurimis, mesenterio cumprimitis, stasi nunc perfectam obtinere, sive fluida in omnibus abdominis visceribus stasi saltim proxima esse.

Si nunc §. 1. huc trahere vobis placuerit, hæmorrhoidalem de novo prodeuntem excretionem evictam habebitis.

§. LXXX. Confluente ex hepate, pancreate, glandulisque Brunneri & Peyeri acri corrupta & viscidula materia, in labefactatum intestinorum canalem (§. 71. & 79.); dicti humores, ob moram & contrariam indolem, mutuo in se agere sive fermentescere incipient: acerrimique facti, intestinorum nerveam substantiam stimulabunt & largiorem humorum affluxum invitabunt. *Hinc diarrhea infestavit.*

Cave, ne ex vulgi desipienti more, pulveri rhabarbarino infensas sequelas tribuas: etenim etsi ad statum morbosum resipere nolis, efficient tamen ut aliter sentias, materia acris anum rodens, nec non principium amaricans & roborans rhabarbari, quod ex hoc capite levem adstrictionem relinquere omni tempore soleret.

E

Tu.

Tumoris cedematosi mentionem utrum iniiciam dubius hæsito. Effectus enim est sanguinis circuitus per pedum vasa difficultioris. Eius autem evanescentiam, spasmo diarrheam comitantibet neminem fugit.

§. LXXXI. Fluidum nervorum in partes quando inæqualiter influit, oritur tremor. Verum, quum hic humores stagnent, ibi subsistant, nunc per vasa aperta impetuosius ruant (§. 78. 79.); hincque partes quædam magis dilatentur, alia stimulentur, in aliis liquida in quiete plane sint posita: fluidum nerveum inæqualiter influet. *E. tremor in nostro.* Oris autem siccitas spasmo glandularum oris & faucium debetur.

§. LXXXII. Devenit nunc ad symptoma scorbuticis admodum familiare & quasi proprium, crustam puto purpuraceam in cute r. lictam: qua quibus causis debeatur modo dispiciam. Repetendum id circa ex *Pathol.* sub omni diarrhoea, universum corpus spasmo affligi. Unde cutis porolorum diameter minor: atque hinc lymphæ tenacis (§. 78.) orificia vascorum ingressæ exitus precluditur. *E. stagnatio obtinebit,* humores pone urgentes, vasorum cutem sere constitutentium parietes, ultra modum dilatabunt. At vero cutis vascula ob tot repetitas spasticas crispaturas (§. 70. *seqq.*) debilitata, atque ob continuum viscidi & acris humoris appulsum (§. 78.) relaxata & dilacerata, sicque elaterio suo privata (§. 27.), tantum impetum sustinere nequeunt. Hinc in vasis serosis stasis, porolorumque cutis obstipatio, in sanguineis vero vasculis inflammatio.

§. LXXXIII. Obstipatione nunc tubolorum cuti implantatorum præsente, cutis una cum epidermide nullo amplius subtili, unctuofo, lubricante liquido gaudebit. *E. cutis aridias* atque sub hac enata rugæ.

§. LXXXIV. Impactus vero in minimis cutis canaliculis distentis tenax & viscidus humor (§. 82.) per intestinam actionem

nem actior factus, vasorum latera disiunget, sicque evasabit: atque avolante tenuiori parte, crassior remansit, *crustaque corpus undique fere obducetur.*

Phænomenon hoc, nullo tam insigni præcedente spasmus, eodem modo incedere potuisse, non insicior. Quum tamen aderat spastica illa per diarrheam inducta crispsatura, ad eam attendere certe opus erat. Ceterum tenaciorem lympham in cutis tubulis vel glandulis subsistentem eandem tragediam ludere, rebellis ille morbus, lepro græcorum vel *Phœbes* dictus, testatur: cuius exempla non longo abhinc tempore tria vel quatuor III. Dno. PRÆSIDI per consultationes occurserunt. Speciem autem ni fallor *Phœbes* præsens in nostro casu phænomenon præbuit. Neque reticere possum, similem fere apparitionem, aliquot ante menses, meis me oculis usurpassæ, quum Philiatrum graviter purpura scorbutica decumbentem meæ inspectioni benevolenter traderet III. Dn. PRÆSES, in cuius cute arida admodum, postquam exanthemata purpuracea exaruerant, copiosa squamuæ, in multis vero locis ulcera pollicis latitudinem æquantia apparebant: sanguis iu principio morbi et vena missus serum fundebat copiosum limosum ac turbidum, huidum, viridescentibus maculis interspersos, atque tunica adeo spissa obfessum, ut calamo scriptorio vix dilacerari ac perforari potuerit.

§. LXXXV. Materia pituitosa et ventriculo protrusionem sciens mitto, tanquam rem facilem intellectu ex præc. De somno hæc pauca adiicio. Vigilia oritur, quando sufficiens & laudabile fluidum nerveum in medulla cerebri, eiusque ad omnes partes liber adest influxus. In somno itaque vel non sufficiens quantitas præsens est, vel iners illud redditum functionibus suis non amplius par est (*Physiol.*). Sed in nostro subiecto humorum massa tenax corrupta & impura (§. 78.). Vnde sufficiens laudabilis fluidi nervosi quantitas nulla. E. *somnus mutus.* Atqui a bono somno productio nova & accumulatio liquidi nervosi. Verum, ex eodem fonte (§. 78.) hæc cessat. Hinc *somnus non resciens.*

§. LXXXVI. Exitu materiae purpuraceae scorbuticæ, ob cutis totalem propemodum destructionem, nunc penitus præcluso (§. 83. & 84.), humores excrementiis oleoso-fulphureis partibus fecundantur, atque fluiditate eorum decrescente, gravitatem specificam acquirunt (§. 31.) Hinc maiorem cordis & vasorum resistentiam exposunt. Quum autem ex penuria partim, partim ex corruptela liquidi nervosi (§. 85.), neque minus ex §. 60. & 76. vis cordis immunita; *cordis & vasorum tonus nunc penitus languescit.*

§. LXXXVII. Cordis & arteriarum vi propellente penitus nunc languida, sanguis tenax & acris in extremitatibus arteriolatum sive in canaliculis arterias inter & venas interieratis, stagnat, orificio lateralium obstruit, illarumque parietes minus resistentes (§. 86.) extra elaterem ponens, quiete gaudet. Contingit illud eo magis in iis partibus, quæ pluribus & minoribus sanguiferis vasculis dotatae sunt. *E. in liene, pulmonibus &c. statim obtinet.*

§. LXXXVIII. Obstructis ergo pluribus vasculis, sanguinis massa, per leges *hydraul.* in universa machina celeriori cursu circumvolvit: quæ impetuosis ad cor ruens, illudque ipsum aerium particularum ope ad contractionem sollicitans, *febre inflammatiorm amniaque huic communia symptomata, ardorem &c. introduceit.*

§. LXXXIX. Subsistens sic sanguis, & in nostro, aerioribus particulis resertus, a pone urgente fortius propulsus atque impactus, vasa distendit atque dilacerat. Sic humor profusus leniter putreficit & simul solida destruit. Hinc *phenomenorum post mortem conspicuorum, sphacelationis, &c. ratio pertenda.*

§. XC. Cur lien in liquor ambo abierit; cur diaphragmatis sinistrum latus eadem labore conspurcatum; cur ventriculus flatus distentus; cur cor flaccidum; cur reliquæ partes inflam-

flammatione & sphacelo hinc inde obsecræ? Docebunt vos partim sanguinis in quiete positi natura & indoles, partim arteriæ cœliacæ situs, diaphragmatis cum liene connexio, partim etiam ea quæ §. 86. & 87. clarius deduxi.

§. XC1. Usque eo nunc processi in deductione casus explicandi, ut nostrum, in eum statum incidisse animadvertere debeam, ex quo eluctari impossibile erat. Etenim ex Physiologicis modo repetamus, quod in motu partium fluidarum per solidam consistat vita; atque ex eodem hoc fonte trium illorum ad perpetuandum hunc motum vitam efficientem, necessariorum (§ 76. n.) porro reminiscamur; denique quæ per conclusiones in superioribus eruimus, hue trahamus: ita certe deprehendimus, solidorum robur penitus inminutum (§. 86.), teste etiam post mortem corde flaccido; sanguinem arteriosum corruptum motuque ineptum (§. 89.), unde emaciatio, neque nullum laudabile liquidum nerveum (§. 85.), cuius penuria virium debebatur prostratio, in nostro comparuisse. Atque hinc quidem mortis sequela necessaria erat.

§. XCII. Priusquam finem huic tractationi imponam, remediorum exhibitorum mentionem paucis iuicere operæ pretium erit. Etenim diluentibus & corrigentibus, quo materia peccans atque in canaliculis subsistens mobilis reddatur, neque minus roborantibus, quo solidis vigor accedat ad correctam sic molem eliminandam, fluidisque per omnem partem expeditus restituatur itus ac reditus, hic opus fuisse nemo non peripicit. Priori indicationi, ni fallor, per medicamina recentita, quantum ea æger admittet, satisfactum est; at vero, roborantia quod spectat, hic aquam hæsisce opinor. Nam, in robore solidarum partium naturæ ad morbum superandum consistere vim & vigorem, si dixerim, mea quidem sententia, a vero minus aberrabo; quippe, hoc deficiente, omnis ad salutem spes, Medicis id unanimi ore profitentibus, penitus evanescit;

ut scite hinc inter alios quam plurimos scripscerit FERNELIUS
in *Præf. lib. I. Therap.* *Felix medicatio, cui adiutrix natura succurrit, irrita vero, quæ repugnante natura tentatur.* Num igitur roborantibus destituumur? Miraberis virorum per tot seculorum decursus medendi peritia celebrium indesessos labores eo nondum devenisse, ut roborantia ex asse specifica ex tam fastis naturæ regnis produixerint. Verum enim vero optandorum in Medicina classem, ipso ita dictante Medicorum Præsule, illustri Dn. PRÆSIDE *Med. Syst. T. III. S. II. c. VI.* p. 522. hæc illa supplent. Me quod concernit, talia vix dari vel deprehendi posse intrepide affirmo. Sine enim roborantia nobis cognita: tum vere pronuncio, millia centena mortalium orci fauibus eripi posse. Sed utrum sapientissimi Conditoris fini hoc esset convenienter? Soluet fortassis Metaphysica hanc questionem.

Quam infelix de morbo iudicium ferant, qui sub ea facie, qua nostri subiecti res stabant, calidiora pharmaca, utpote essentias alexipharmacas, nec non ex balsamo Peruiano paratas, vel quæ ex radice pimpinellæ & sinapi consciuntur, simul ac mira antispasmodica, vitriolum scilicet album excogitantes, laudant atque commendant, me non monente, cuvis statim animadvertere integrum erit. Utinam ita iudicantes non tñderet, arrepta mente evolvere ac perlegeret quæ passim inculcavit Ill. *Dn. PRÆSES*, in specie vero quæ in differentiatione: *de conversione morbi benigni in malignum* candide & solide docuit. Hæc quippe doloris, ardoris & pruritus facere augmentum, astum intendere, vires consumere, stansque inflammatoriam, humidam cum defurentur partem, promovere, & ratio & experientia testantur: quum e contra, quæ diluunt & corrugunt quo spectat serum lactis dulce &c. in huiusmodi morbis quæ ab acrimonia foventur, præstantia & virtute nulli unquam remediorum generi cedant.

F I N I S.

V I R-

VIRTUTE ET DOCTRINA
EXIMIO
DOMINO CANDIDATO
S. P.
FR. HOFFMANNVS.

Si quid est, quod eruditum, & in primis Medicinae sacris operantem decet atque commendat, eo certe nomine, sincera pietas, animique integritas laudari meretur. Nam, sicut omnis virtutis, scientiae atque sapientiae initium est timor Domini: ita quam maxime Medici interest, ut munus suum, quod est, corpore & animo per morbos afflictos sanare & secunde valetudini, qua nihil in hysce terris pretiosius & iucundius, restituere, cum bona conscientia, nec non divine benedictionis & verae sapientiae adiutorio exsequatur. Evidem, primus & prudenterissimus artis nostrae conditor, Hippocrates, prodidit, Medicum sapientem DEO aequalē haberi: sed sapientiam, sine pura ac piamente, sine humillima divine potentia & immensa sapientiae veneratione, vix posse consistere, nemo facile in dubium vocabit. Verum, quum Medicus scientie addictus in continua mirabilium operum divinorum, rerum videlicet physicarum, chymicarum, anatomicarum, que stupenda Summi Numinis sapientiae, rationis atque ordinis luculentissima vestigia suppeditant, contemplatione versetur; quanta, queso, haec venerationis incrementa capit! Atqui, haec ipsa meditationis, in eam me non raro sententiam adduxit, ut Medi-

co



eo studio, inter alia, prærogativam quandam concedendam esse, crediderim. Præterea, ex tot morborum afflictionibus, quibus mortalium genus subinde premitur, miseram & corruptioni obnoxiam hominis naturam, quotidie intueri Medico integrum est: cuius seria & pia contemplatio, ad curatiorem & intimam beneficiorum nobis per Christum partorum cognitionem & desiderium quam optime perducit, & ut misericordia & calamitate afflictis, quum singulis fere momentis occasio occurrat, eo faciliter & diligentius bene faciamus, admonet. Igitur sicut præcipuum hancce virtutem, pietatem puta, in Philiatro quounque desidero & magnificacio: ita Tuam, ego, Clarissime Dnc. Candidate! ex quo intimius Te cognovi, sinceram in DEO pietatem, morumque probitatem semper laudavi & estimavi. At vero, cum huic præcellentis virtuti assiduam industriam, strenuum indefessumque laborem, non perfunctorie sed solide Medicam addiscendi doctrinam, ardissime coniunxeris, atque omnes Medicinae partes, sub mea potissimum & quotidiano privata manudictione, rectius atque plenius imbibieris; nullus certe dubitationi relitus erit locus, quin & publicares & egrotantium salus, a conatibus Tuis & futuris laboribus practicis fructum sit perceptura insignissimum: id quod ex animo deditissimo, Tibi, a Summo rerum Moderatore appreco. Quod restat, non possum, quin Tibi de egregio eruditonis specimenine, a Te ipso, sine meo aut aliis auxilio, elaborato, impensè gratuler, simulque laudem: quod veritatem huius argumenti, ex certis, adæquatissimis & evidentibus, physico-mechanicis principiis, secundum demonstrativa Mathematicorum methodum deduxeris atque eviceris. Utinam modo plures, non solum in virtutis studio, sed etiam in solidis artis nostræ profectibus Te imitantur. Vale. Dedi Hale
d. XIV. Aug. clx lxxcc xxxii.

Iusta labori feris debentur præmia Musis:
Laurea, cum curvo, palma, corona, pedo.
Scilicet illa suis tandem dat Phœbus alumnis,
Donat discipulis alma Minerva suis.
Sit via dura licet, Parnassi scandere culmen,
Sit grave: victori dulce tenere tamen.
Per varios casus, per multa pericula tandem,
Perque tot anfractus, itur ad astra, viæ.
Hæc data fors miseris, lex hæc est unica nobis:
Non nisi confecto dona labore dari.
Post exantlatas quam dulce quiescere curas!
Et quam post palmam currere suave fuit!
Hæc *TIBI* musa canit, tum *Vir Doctissime!*
nostra
Carmina quæ placeant, qualiacunque, precor.
Gratuler, an doleam, plane sum nescius ipse,
Et calamus mediis hæsitat, ecce, modis.
Lugeo, quod misio nunc es abiturus amico,
Gaudeo quod meriti culmen honoris adis.
Lugeo, quod sine *TE* iam vivere cogor *AMICE!*
Gaudeo quod dentur præmia iusta *TIBI*.
Sed bona verba bonis quia sunt dicenda diebus,
Debet & a musa luctus abesse mea.
Gratulor ergo *TIBI!* confectus, accipe! cursus,
Gratulor emensam dulcis *AMICE* viam.

F

Gratu.

Gratulor exhaustos *TIBI*, gratulor hosce labores,
Gratulor hanc lætam, suavis *AMICE*, diem.
Gratulor ex animo dandos *TIBI* lætus honores.
Opto, sed in coelis, splendidiora, Vale!

Doctissimo Domino Candidato, Amico integer-
rimo ad honores iam suscipiens, solidaque
eruditio[n]is sue specimen, vacillante quidem ma-
nus, sed animo de ditissimo gratulaturus h[ec] scripsit

N. MAASS, Anclamo-Pomer.
S. Theol. Studiosus.

SSein Fleiß, Erfahrenheit, und Wiz die Wege
bahnen,
Wodurch man in die Zunft gelehrter Aerzte
kommt,
Den schüßen unverrückt Apollens Sieges-
Fahnen,
Dass recht erworbnen Ruhm kein schnödes Un-
recht hemmt.
Versucht ein leerer Kopf mit List sich zu empören,
So muss des Eifers Gluth, und feuriges Bemühn
Der ächten Ehre Glanz erheben und vermehren;
Denn Ruhm mit Wiz vermahlt kan nie den
Kürzern zieh'n. **Hoch-**

Hoch-Edler! Dessen Fleiß, Verstand und selt'ne
Gaben

Dein Gönner, welcher Dir den Purpur ü-
bergiebt,

Zu and'rer Muster-Stück zum öfftern hat erhaben,
Da sich Dein muntrer Sinn zu Seiner Lust geübt,
Du kanst auf Phœbi Gunst nun ungezweifelt hoffen,
Dass Sein erhabner Sinn für Deine Wohlfahrt
wacht.

Er macht Dir nach Verdienst die Ehren-Pforte offen,
Da die Geschicklichkeit Dich hierzu würdig macht.
Ein Mann von Dessen Ruhm u. höchst verdienten

Ehren

Ganz Allemannien die schönsten Proben weiß,
Zu Dessen Hülfe sich geweh'te Häupter kehren,
Belohn't mit Ruhm u. Dank den ihm erwies'nen
Fleiß.

Hoch-Edler, solte diß nicht gnügsam Anlaß geben
Ein unzertrennlich Wohl u. Glück zu prophezen? n?
Ich weiß ich sage recht: Dein stets vergnügtes Leben
Wird meiner Redlichkeit gewisser Zeuge seyn.

Mit dieser aufrichtigen Gratulation wolte dem Herrn DOCTO-
RANDO als seinem Hochgeehrtesten Gönner in schuldiger
Ergebenheit aufwarten, und derselben formerer Gewogenheit
sich gehorsamst empfehlen, Dessen

ergebenster Diener und Freund
E. G. STRUVE, Primislav. Vcaro-March.
Medic. Cult. Quid

Quid valeant artes, Medici solertia prosit,
Quid solidæ methodi, fedula cura queat:
Ætas nostra probat variis hac arte politicis
Ingenijs, veri quæ tenet unus amor.
Parva sub inducta latet, ut scintilla, favilla,
Nec nisi semoto tegmine clara nitet:
Sic quoque, quod Medicis lumen natura reliquit
Mentis, morborum nubila densa tegunt.
Has nisi dispellat causas sol aureus ortu
Cognitionis: abest omnis habenda salus.
Ædibus HOFFMANNI, veri pertusio vana
Exulat, hasque tenent indubitata domos.
Illum seferis: cui pro ratione voluntas
Non stat, cum possit cuncta probare bona.
Quo Ductore Viro non otia blanda probasti,
Non nox, non somni continuere manus.
Hinc quantum Hippocratis COTHENIVS arte resulget,
Sic multis studiis Palladiisque nitet.
Largos inde legis post tot tantosque labores
Fructus, qui Patriæ vota fuere tuæ.
Sed quæ nunc nobis solamina, quæso, supersunt?
Nostris dum Musis ultima verba refers.
Non nisi vota, quibus supremum Numen adibo,
Sic Tibi dico v. le, sed rogo, porro fave.

*Hoc amicitiae specimen Nobilissimo ac Erudissi-
mo Domino Doctorando Amico suo Homo-
ratissimo, benevole recordationis ergo ad-
fecit*

NIC. BORRIES, Hafnia-Danus
Med. Stud.









6

Q. D. B. V.
DISSERTATIONE INAVGVRALI
C A S V M
DE
PVRPVRA SCORBVTICA
PRÆGRESSO
HÆMORRHOIDVMFLVXV
N I M I O
EX PRINCIPIIS SOLIDIS DEDVCTVM.
PRAESIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIAE & ORDINIS MEDICORVM SENIORE
PRO
GRADV DOCTORIS
LEGITIME CONSEQUENDO
Die Aug. Anni MDCCXXXII.
SOLEMNI ERVDITORVM DISCEPTATIONI
EXPOSIT
AVCTOR
CHRISTIANVS ANDREAS COTHENIVS,
ANCLAMO - POMERANVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

